DE TYPHO HISTORIA QUAM AD MEDICINAE DOCTORIS INSIGNIA IN C. R...

Pietro Bertoldi

DE TYPHO

HISTORIA

QUAM

AD MEDICINAE DOCTORIS INSIGNIA

IN C. R. PATAVINO ARCHIGYMNASIO CAPESSENDA

PUBLICE EXERIT

BERTOLDI PETRUS

VERONENSIS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXXX

« Morbus contagiosus; calor parum auctus; pul-
» sus parvus, debilis, plerumque frequens; urina pa-
» rum mutata; sensorii functiones plurimum turba-
» tae; vires multum imminutae, » tamquam essentialia et characteristica signa a *Cullenio* traduntur, quae typhum constituunt, infensissimum nempe, et jure formidandum genus febris continuae, quae modo acutissima cum gravissimorum statim symptomatum apparatu luctuosam claudit scenam; modo ab initio levi sub specie larvata citam deinde affert perniciem; modo ad duas, tres, quatuorve hebdomadas periculo nondum expers extenditur, vel longius etiam protracta lentae naturam adipiscitur.

Febris haec affectioni nervosae sociata multiplicibus adeo et ordine, et numero, et vehementia, variis complexa se se exhibet pathematibus, ut ad ejusdem diagnosim prima fronte assequendam non levis ingruat medentibus difficultas. Nulla est humanae vitae conditio, cui febris haec parcat, neque ulla est acuta, vel chronica morbosa conditio, cui comitem non possit adjungere.

Varios adspectus induit typhus, unde variae etiam ipsius subortae sunt divisiones: in mitem et gravem; in simplicem et compositum; in primarium et secundarium; in sporadicum et epidemicum; in spontaneum et contagiosum. Rursus pro conjunctarum af-

fectionum varietate typhus dictus fuit petechialis, miliaris, icterodes etc.; pro locorum autem varietate typhi, aut febris carceralis, navalis, nosocomialis, castrensis nomen recepit.

Universalis segnities, torpor, animi abjectio, apathia, magna interdum in somnum propensio, alias somnus irrequietus, terrifica insomnia, anorexia, languoris species, qualis magnam defatigationem subsequitur, pavor: inquietudo, in propriis obeundis muneribus, fastidium, tristitia, in iram ex levi causa proclivitas, societatis interdum, et eorum, qui antea in deliciis erant, taedium, aversatio aut contemptus, pathemata sunt, quae plus minus constanter morbum hunc praecedere consueverunt.

Jam vero memoratorum pathematum perseverantia, aut incremento, horripilationes exoriuntur, oscitationes frequentes, levis frigoris et caloris se se mutuo excipientium vicissitudines; virium, quae voluntati parent, dejectio, obtusus capitis dolor, seu potius ponderis sensus et ad epigastrium, oris amarities, gustus depravatio, anxietas, internorum externorumque sensuum perturbatio, quae omnia morbi initium generatim comitantur, quo quidem tempore aegri vix febricitare videntur.

Quod si morbus increscat, vires magis magisque prostratae apparent, irrequietus aeger situm frequenter mutat, vel prae gravitate et laxitudine supinus decumbit, et raro et aegerrime in latus convertitur. Miras interim pulsus offert varietates: modo enim parvus et debilis; modo celer, frequens, mollis, aequalis interdum; alias durus, tardus, inaequalis, aut in-

termittens deprehenditur. Calor primum mitis, et vix a naturali gradu recedens, aliquando etiam hoc minor, non raro mordax, cum ustionis sensu persentitur, praesertim in vola manuum; urina naturali similis, frequenter tamen pallida et cruda conspicitur; ex qua vel nihil subsidet, vel levem furfuri similem materiem inaequaliter dispersam interdum exhibet.

Ad haec febris in die intenditur, et irregularibus exacerbationibus subjacet; respiratio debilis, plerumque frequens et laboriosa fit, capitis major gravitas aegrum vexat; magnus saepe stupor, aut obtusus dolor cum quodam frigoris sensu occiput tenet, frequentius vero dolor in temporibus, vel in superciliorum regione, aut ad frontem fixus acutissimus torquet: omnimodum ciborum fastidium et aversatio, vomitus pituitosi, eruginosi, biliosi; ructus, flatus, tormina, borborygmi accedunt, alvo saepe adstricta, alias profusa. Oculi graves, subtumidi, modo flavescentes, lacrymantes conspiciuntur: visus, ut et aliorum sensuum exercitium, hebescit, pervertitur: sitis non multa est, nulla interdum: lingua mucosa, albescente aut flavescente sorde contegitur: collabitur, pallida et tristis, etsi per intervalla calore et rubore suffusa appareat, fit facies aegri; qui non raro somnolentus et languidus, alias omni prorsus somno destituitur; seque a somno, quando adstantibus revera dormire videtur, corripi, aut refici non sentit, aut negat, imo nonnunquam vix se graviter aegrotare sibi persuadetur: pallescit habitus cutis, quae modo sicca, modo profuso et tenui sudore madet universali aut partiali: tremores saepe ingruunt, mentis aliena-

tio, subdeliria: sanguis de secta vena missus, vel, oborta haemorrhagia, profluens, aut naturali similis est, crusta interdum gelatinosa obtectus, aut, quod frequentius, difficile cohaerens, et ad liquationem facile pronus.

Ingravescente adhuc morbo, intenduntur magis symptomata, aliaque quamplurima adjunguntur, et qua proportione nerveum systema pessundatur, pari passu virium collapsus, et functionum omnium perturbatio augetur, atque manifestae in tumoribus degenerationes observantur: pulsus tunc celerrimi fiunt, exiliores, irregulares; calor etiam varias subit mutationes; urina quantitate varia, nec potui assumpto respondens, nunc limpida, modo turbida, alias nigricans, fuliginosum sedimentum deponens observatur; respiratio difficilior anhelosa evadit, suspiriis identidem interrupta cum graveolente spiritu; delirium obrepit modo taciturnum, triste, mite; modo loquax, laetum, ferox cum furore immani, ut aegrum vinculis coercere praestet, qui alimenta et potum saepe respuit; dum alias tantalea siti excruciatus, frigida et acida vehementissime expetit, et, vel diuturno pervigilio, vel profundo, a quo vix excuti potest, detinetur somno; comatosus, lethargicus fit, aut stupidus etiam per sat longum tempus fixis oculis, et instar statuae immotus permanet: lingua lutea fit, aut nigricans, et tremula cum difficultate exeritur; labia pariter ut et lingua arescunt, et variis deturpantur fissuris, ipsique dentes sordescunt, crassa, tenaci, nigricante crusta obducti, et pravus ab aegris persentitur sapor, ac intollerabilis ex ipsorum ore foetor erumpit.

Cernere saepius est aphtas albidas, lardaceas, livescentes, aut nigricantes, quae obsident oris cavitates et fauces, nec non per aereum et cibarium canalem late proserpunt; hinc in deglutiendo difficultas, et dolor; tussis acerba, ferina, excreatus sanguinolenti; vox rauca, debilis, submissa, clangosa, vomendi conatus; fluxus ex alvo aliquando sanguinei, mucosi, fluidi, pexime olentes exoriuntur. Foetent etiam sudoris et urinae evacuationes, et magna interdum vermium quantitas alvo egeritur. Hypochondria tensa dolent, et murmurant, totumque abdomen tympaniticum fit: solutus e naribus, gingivis, alvo, utero saepe profluit sanguis. Ad haec tendinum subsultus, tremores, trismus, carphologia, risus sardonicus adjunguntur; nullaque fere est ex musculosis partibus, quae variis spasticis aut convulsivis affectionibus non queat esse obnoxia.

Incerto admodum morbi tempore petechiae aut vibices apparent; nec raro parotides, bubones variisque in partibus, tumores et abscessus manifestantur; frequentius vero ad os sacrum et nates exulcerationes, et gangrena: miliaria etiam observatur, et saepe quidem petechiis adjuncta, quae, etsi interdum critica, numquam tamen periculo vacant.

Quandocumque autem sub horum symptomatum apparatu vires magis continuo fatiscunt, sensuum omnium exercitium pari passu imminuitur, ac plane hinc deletur; projectis ac quasi resolutis artubus jacet aeger, frigent extrema, pallent ungues, pulsus parvi, celerrimi vix perceptibiles evadunt, excrementa inscio profluunt aegro, oculi nullo pacto a lucis

fulgore commoti involuntariis madent lacrymis, tenuis et frigidus faciem praesertim collum et pectus occupat sudor, stertor accedit, cadaverosam faciem induit aeger, similemque foetorem olet, frigida et interrupta emittit suspiria, atque vel profundum soporem cum aeterno commutat somno, vel convulsivis motibus exortis repente interdum et inopinate abripitur. Cadavera hoc morbo extinctorum citius putrescunt, atque ex eorum sectione vix nisi effectus eruere licet.

Quicumque ea phoenomena contemplatur, quae typhum praecedere, tum quae in ejus decursu concomitari animadvertimus, facile concipiet, nervosam ac motricem vim in hac febre eminenter affici, propterquamquod ejusdem causam proximam non immerito statui posse censemur in peculiari quadam nervosi systematis irritatione, quam occasionales causae, aut intra corpus genitae aut ingestae aut extus admotae induxerunt; unde qua proportione vitale principium torquetur, muscularium virium abnormitates contingunt: hinc pro varia causarum intensitate et actione, pro varia corporis praedispositione, nec non reagentis naturae efficacia, varius intensitatis et malitiae gradus: multiplices in functionibus a naturae statu recedentibus aberrationes; varia, ex inormali humorum circuitu, secretionum et excretionum vitia; atque hinc manifesta humorum in liquationem proclivitas; aliorumque symptomatum, et morbosorum effectuum ethiologia explicatur.

Ad causas typhi praedisponentes praecipue referentur evacuationes nimiae, morbi anteacti vires ex-

haurientes, immodici labores, diuturna inedia, mala nutritio, anxietas, timor, tristitia, frigoris calorisque excessus, humidorum locorum incolatus, aeris temperies humida, neglecta corporis mundities.

Inter occasionales causas numerantur: 1.° contagium peculiare, nec sat definitae indolis, quod ab infectis corporibus et locis per contactum, inhalationem, lintea, indusia, vestes, stramenta et similia propagatur: 2.° quae absque contagii praesentia ipsi occasionem praebent frequentiores causae numerari posse videntur miasmata et putrescentibus praesertim animalibus exorta; aer ex multorum respiratione et peximis inhalationibus contaminatus, qualis in nosocomiis, carceribus, navibus, et ubicumque plures homines acervati commorantur, occurrit; emanationes ab aquis stagnantibus et putrescentibus; putridis carnibus uti, et corrupta aqua et vino; cachochylia primarum viarum.

Caute omnino in typhi prognosi est incidendum; fallacia siquidem persaepe, atque infida sunt signa, quae faustum vel infaustum ejusdem exitum portendere prima fronte videntur. In universum tamen mitioris indolis censetur typhus spontaneus, et sporadice decurrens, quam qui a contagio, vel a lethiferis quibusdam miasmatibus ortus epidemice grassatur; eo major salutis spes affulget, quo magis reagunt naturae vires, neque a praecedentibus morbis aut evacuationibus exhaustus est aeger, nullaque infectus labe, neque pravis alimentis usus fuit, aut ab animi affectionibus vehementioribus debilitatus. Sensilitate maxima praediti, graciles, timidi, gravius laborant. Bonum

est aegrum ab alimentis, remediis, somno refici, nec functiones animales valde a naturali statu recedant, si ad consuetum morem decubitus accedat, vel parva cum difficultate mutetur; si calor, et cutis siccitas moderata sit, non valde caput doleat; si profusae non vexant evacuationes, aut si ex ipsis imminuantur symptomata, quod praesertim ex vermium egestione contingere adnotatum est; si respiratio, et pulsus parum a naturali statu recedant. Bonum pariter est, aegri physionomiam vix mutari, humidam linguam et fauces servari. Utilis sudor blandus, aequalis, crassus. Minus periculi portendunt tremores, jactationes, inquietudo, spasmata, delirium, si per intervalla contingant. Bonum est, apparentibus in cute miliaribus, convulsiones cessare, minusque generatim infestae censentur petechiae floridae, prurientes, quam nigricantes. Non male ominantur aphtae albae, benignae in lingua, palato, labiis, prodeuntes ut et pustulae, et abscessus ad externas partes in morbi decremento exorti, quo etiam tempore haud mala surditas censetur: salutaris saepe animadvertitur salivatio copiosa, levis dyssuria, cum urina multa, sedimentosa. Gangrena etiam ad nates et os sacrum exorta, caput et pectus levari aliquando observatum est. Haemorrhagia, si intra limites coerceatur, salutaris esse potest, sicuti et supervenientia menstrua, et haemorrhoides. Potissimum vero si aequalis redditur pulsus, respiratio liberior, cutis mollis, et universim madida, spastici et convulsivi cessant affectus, pacatus est somnus, et functiones intellectuales redintegrantur, de felici exitu vix dubitandum est. Ex contrariorum lege haud diffi·

cile erit eruere, quando infaustus hujus morbi exitus sit pertimescendus.

Typhi curationem rationalem suscepturo, tanta sese exhibet symptomatum inter se diversorum, ac non raro oppositorum cohors, ut anceps haereat in indicationibus eruendis. Hinc inter morbos jure hic recensetur, in quibus medici ingenium vim suam manifestare potest. Licet tamen autumare, vitae virium conservationem, ipsarumque labentium erectionem praecipuum constituere curationis cardinem, ad quem nullo non tempore medentis actiones sunt dirigendae.

Et primo quidem venae sectio in typhi curatione saepe contraindicatur, utpote quae vires facile pessundat, quas servari tanti interest. At cum non raro sanos caeteroquin et plethoricos morbus aggrediatur, vel symptomata saepius enoscantur, ex quibus sanguinis raptus ad aliquod viscus pertimescatur, aut congestio brevi laethalis evasura, moderatae sanguinis missioni locus fieri potest, ea tamen habita ratione, ut ex pulsus, et effectuum inde enatorum diligenti consideratione, de quantitate sanguinis mittendi prudens feratur judicium. Factum exinde est, ut tutius hirudinibus temporibus, vel haemorrhoidalibus vasis, nec non cucurbitulis scarificatis dorso, scapulis, cervici applicatis, sanguinem mittendum esse generatim censeant cautiores clinici.

Inter remedia, ex quibus attenta tum causarum indole, tum colluviei praesentia, proficiscatur utilitas in typhi curatione potiorem jure locum sibi vindicant emetica, prudenter juxta indicationes scelecta et propinata. Per haec enim colluvies et succi deleteriis

principiis infecti ejiciuntur, nervei systematis vires eriguntur, lentescens humorum circuitus et torpens secretionum munus, et diaphoresis promovetur. Interim si sanguinem mittere expediat, phlebotomia praemittenda.

Suus est etiam lenibus catharticis locus, ubi signa adsint intestinorum colluviei. Huc attinent pulpa cassiae tamarindorum, salia neutra epicratice exhibita, nonnulla rhei grana, et ejusdem tinctura vinosa. Sunt qui oleosa commendant remedia, at tutius est ab iis abstinere, laxant enim, et difficile a stomacho feruntur. Drastica nullo modo admittenda, utpote tum nimio stimulo, tum excedente evacuatione vires exhaurientia.

Sola saepenumero clysmata alvi ducendae indicationi satisfaciunt, ex decoctionibus malvae et chamomillae, addito melle parata. Quod si clysmatum actionem acuere praestet, decoctionibus addi possunt sennae folia, murias, aut fosfas sodae. Si vermium suspicio sit, adduntur anthelmintica.

Nullo non tempore in typho cutaneae perspirationis habenda est ratio: hanc propterea imminutam vel suppressam lecti calore, frictionibus, levibus diaphoreticis, calentibus potubus, cucurbitulis siccis pro re nata excitare praestat.

At praecipua indicatio in typhi curatione eo tendit, ut systematis nervosi vires serventur. Inter auxilia, quae hoc in casu miram praestant virtutem, vinum rubrum primum tenet locum, quod ipse commendavit Hippocrates.

Ad hoc accedit camphora tantis cumulata laudibus, utpote quae vires erigit, nervosas nonnullas tur-

bas sedat, diaphoresim promovet, et anthelmintica facultate pollet. Nemo vero erit, qui camphorae usum suadeat cum summus sit calor, jactatio ingens, cutis et linguae ariditas vexet, aut sitis urgeat, aut primarum viarum cachochylia praesens. Assa foetida camphorae utiliter sociatur, quae per intervalla iterata porriguntur. Valeriana, arnica, crocus, castoreum, moschus maxime juvabunt, si exanthemata retropulsa fuerint, aut nervosis symptomatibus valde stipatur. Idem de contrajervae et serpentariae radice, idem de aetheribus et spiritibus dicendum.

Si quod est remedium praestans vere et eximium, ad quod summa cum fiducia confugiendum sit, id profecto cortex Peruvianus praebet. Hoc enim et febris vim compescit, et totius systematis vigorem auget. Nec de tinctura Huxham silendum, quae aliis consociata remediis, et iteratis dosibus propinata, mirum in modum ad aegri vitam substinendam valere comprobatum fuit.

Pertinaces in typho vigiliae, anxietates, inquietudo, molesti et acerbi aliquando dolores, excedentes praesertim alvi evacuationes, non raro in scenam prodeunt. Haec omnia, materiali prius excussa, si qua datur causa, summi momenti est sedantibus aggredi, anodinis remediis, quorum princeps est opium. Herculeum revera si quod aliud est auxilium, quod tamen neque empirice, neque oscitanter in hac febre prescribendum esse facile concipit, qui ab ejusdem actione nerveam vim affici, cerebri functiones hebescere, soporem facile induci, secretiones et excretiones, sudore excepto, torpescere, aut supprimi, ani-

madvertit. Hinc expertissimi viri tutius ducunt medicamenta praeferre, in quibus opium recipitur, quam solum larga dosi propinare, aut incauta manu. Nullum vero forsitan remedium est ac opium, in cujus actione adeo valeat consuetudo, et propria uniuscujusque aegrotantis idiosyncrasia. Quamobrem opium partitis potius vicibus, exiguisque dosibus porrigendum. Interim ab ejus casu cavendum, quandocumque criticae evacuationes instant, vel fluunt, metus quippe est, ne intempestive coerceantur.

Ad infirmatas vitales vires excitandas, spasmodicos motus et dolores sedandos, perspirationem ciendam, exanthemata pellenda, congestiones praepediendas, praestans auxilium suppeditant vesicantia; quae nucae applicita, soporem discutiunt, delirium placant, capitis dolorem levant; coxis vero, cruribusque admota, labentes corporis vires mirifice excitant.

Diaeta in hoc morbo admodum tenuis requiritur, et praesertim in morbi initio, et quando sordibus primae viae obumbrantur. Hisce expiatis, optime cedunt alimenta ex pane contrito, jusculo incocto paranda, parva copia et partitis vicibus propinanda, tum jusculum ipsum acescentibus, si lubet, leniterque aromaticis substantiis commixtum. Quod ad potum spectat non valde ambigendum, ut is concedatur, qui aegro magis gratus videri queat. Decoctiones ex acidulis substantiis aptum suppeditant potum, qui subfrigidus aut frigidus concedi potest, nisi peculiaria adjuncta prohibeant: qua vero proportione morbus decrescit, sensim plenior exhibendus victus ex cibis eupeptis ac roborantibus. Cavendum tamen et in ipsa

convalescentia ab excessu. Maxime pariter interest aeris salubritati cousulere; ipsam frequenti renovatione ac opportunis auxiliis repurgare, et omnium rerum munditiei diligenter prospicere. Sedulam quoque expostulant curationem tumores, abscessus, ulcera, quae accedunt aut consequuntur; ex quibus neglectis, aut praepostere curatis, non raro fit., ut aeger in extremum labatur fatum, qui caeteroquin a morbo jam effugerat.

148

THESES DEFENDENDAE

I.

Cataracta a phlogosi ut plurimum oritur.

II.

Vera intermittentia in febribus non datur.

III.

Graviditatis signa, singillatim sumpta, fallacia.

IV.

Corporis imbecillitas phlogosim non excludit.

V.

Chininae sulphas non semper utile ad febres intermittentes profligandas.

VI.

Non omnes morbi medici curatione indigent.